



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Tractatvs Decimvs Octavvs. De materia remota eucharistiæ, hoc est de
materia consecrabili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

menta esse septem genere, sed sub aliquibus generibus contineri plura specie sacramenta, & quod sub genere ordinis continentur tria specie sacramenta ordinis, sub genere eucharistiæ continentur tria specie sacramenta, quæ sunt consecratio, species consecratæ, & usus, seu sumptio. Cum enim singula ex his sint signum sensibile practicum rei sacræ, singula per se sunt sacramentum.

24. Dicendum contra relatas opiniones eum communi sententia Theologorum, quos refert, & sequitur Suar. disp. 42. sect. 4. & Vasquez disp. 167. cap. 3. num. 26. alijque communiter, usum, seu sumptionem eucharistiæ non esse sacramentum, aut partem essentiali, vel integrale in sacramenti eucharistiæ, neque esse sacramentum per se distinctum à sacramento eucharistiæ, sed esse meram applicationem sacramenti, necessariam per modum conditionis ad hoc, vt sacramentum eucharistiæ operetur suum effectum.

25. Probatur primo. Nam ideò usus aliorum sacramentorum est sacramentum, vel pars sacramenti, quia alia sacramenta non habent virtutem sanctificandi, nisi in usu; sed sacramentum eucharistiæ continet ipsum Christum ante usum, & cum Christo habet realem, & perfectam virtutem sanctificandi; ergo &c.

26. Probatur secundo: nam sacramentum eucharistiæ est sacramentum per modum cibi, & potus; sed usus cibi, & potus non est pars cibi, & potus, neque est virtus nutriendi, sed est mera applicatio cibi, & potus per modum conditionis necessariæ ad hoc, vt cibum, & potus nutriant; ergo usus, & sumptio eucharistiæ non est pars sacramenti eucharistiæ, sed est mera applicatio per modum conditionis necessariæ ad hoc, vt faciat suum effectum nutriendi. Ex eo, quod usus eucharistiæ sit mera applicatio, sequitur usum non esse partem integram sacramenti eucharistiæ. At impletio pœnitentiæ non est mera applicatio sacramenti pœnitentiæ, sed est actio habens partialem virtutem conferendi effectum pœnitentiæ, ideoque est pars integralis sacramenti pœnitentiæ.

27. Quæritur septimo, vtum verba consecrationis secundum se præcisè seorsim ab alijs partibus sint sacramentum?

Respondeo, quod verba consecrationis sunt quidem pars essentialis sacramenti eucharistiæ, vt dictum est num. 3. sed secundum se præcisè seorsim ab alijs partibus non sunt sacramentum formaliter, sed solum radicaliter; hoc est sunt causa sacramenti. Ratio est, quia, vt aliquid seorsim ab alijs sit sacramentum, requiritur, vt seorsim sumptum habeat vim sanctificandi hominem; sed verba consecrationis seorsim à speciebus, & à corpore Christi non habent vim sanctificandi hominem; ergo verba consecrationis seorsim sumpta non sunt sacramentum formaliter, licet

quia sunt causa præsentia Christi sub speciebus, per quam præsentiam ultimo constituitur sacramentum eucharistiæ, sint causa sacramenti, ac possint dici sacramentum causaliter, seu radicaliter.

TRACTATUS XVIII.

De materia remota eucharistiæ, hoc est de materia consecrabilis.

QVAESTIO CXXX.

Vtrum materia transiens, & remota eucharistiæ sint panis, & vinum?

S. Thom. quæst. 74. art. 1.

1. Circa materiam remotam eucharistiæ plures errores hæreticorum referuntur à S. Thoma hoc articulo, à Suar. disp. 43. initio, à Vasquez disp. 170. cap. 1. & ab alijs. Primus error fuit hæreticorum, qui vocati sunt Arrotyræ, qui, vt refert S. Augustinus lib. de hæresibus, hæres. 28. in hoc sacramento offerebant panem, & caseum, dicentes à primis hominibus oblationes de fructibus terræ, & ouium fuisse celebratas. Secundus error est Cataphrygarum, & Pæputianorum, qui crediti sunt adhibuisse in materiam eucharistiæ panem confectum ex farina, & sanguine, quem ex toto corpore alicuius infantis minutis punctiõnum vulneribus eliciebant. Tertius error est Aquaticorum, qui vt ostentarent quamdam sobrietatem, solam aquam in hoc sacramento offerebant.

2. Contra omnes istos errores veritas catholica docet materiam eucharistiæ esse panem, & vinum. Probatur ex omnibus Evangelistis, & præsertim ex Matthæo, cap. 26. vbi dicitur: *cœnantibus autem illis, accepit Iesus panem, & benedixit, & fregit, deditque discipulis suis, & ait: accipite, & comedite, hoc est corpus meum; & accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum &c.* ergo Christus eucharistiam confecit ex pane, & ex genimine vitis, hoc est ex vino; sed vt legitur Lucæ 22. præcepit Apostolis, vt idem facerent, dicens: *hoc facite in mei commemorationem*; ergo ex Christi institutione materia eucharistiæ est panis, & vinum, vt tenet catholica Ecclesia, & vt definiuerunt Eugenius IV. in Concilio Florentino in decreto fidei post sessionem vltimam, & ante illum Innocentius III. in Concilio Lateranensi, ac refertur cap. *Præmiter*, de summa Trinitate, ac de fide catholica, & vt docuerunt omnes Sancti Patres; ideoque Alexander I. in epist. ad omnes Orthodoxos dicit: *in sacramentorum oblationibus panis tantum, & vinum aqua permistum offerantur.*

3. Plures congruentias, propter quas Christus voluit materiam eucharistiæ esse panem, & vinum, assert S. Thomas hoc art. 1. Prima est, quia cum sacramentum eucharistiæ sit institutum per modum cibi, & potus, materia illius debuit esse id, quo communiter homines nutriuntur; sed homines communiter nutriuntur pane, & vino; ergo &c. Confirmatur: nam sicut quia sacramentum baptismi est institutum ad usum spiritualis ablutionis, materia illius est aqua, quia communiter abluimur aqua; sic, quia sacramentum eucharistiæ est institutum ad usum spiritualis nutritionis, & manducationis, materia illius debuit esse panis, & vinum, quia communiter vescimur pane, & vino.

4. Secunda congruentia est: sacramentum eucharistiæ est institutum in memoriam dominicæ passionis, in qua sanguis separatus fuit à corpore; ergo conueniens fuit, ut seorsim sumeretur panis, ut sacramentum corporis, & vinum, ut sacramentum sanguinis.

5. Tertia est: sacramentum eucharistiæ valet ad tuendum corpus, & animam, ut dicit Ambrosius, vel quicumque sit auctor illorum Commentariorum in cap. 11. 1. ad Cor. ergo congruenter fit sub specie panis pro salute corporis, & sub specie vini pro salute animæ, siquidem Leuit. 17. dicitur, quod *anima carnis in sanguine est.*

6. Quarta est: sacramentum eucharistiæ institutum est ad significandam unitatem Ecclesiæ, quæ fit ex pluribus fidelibus; sed hæc unitas optimè exprimitur pane, qui fit ex diuersis granis, & vino, quod fit ex diuersis uuis, ut dicit Glossa explicans illud 1. ad Cor. 10. *multi vnum corpus sumus;* ergo &c. Propter has rationes, licet carnes animalium, quæ erant materia veterum sacramentorum, expressius significarent passionem Christi, Christus in materiam eucharistiæ elegit, non carnes animalium, sed panem, & vinum, quia sunt cibus communior, & melius expriment ecclesiasticam unitatem.

7. Licet panis, & vinum non nascantur vbique, tamen facillimè ad omnes regiones deferuntur, ideoque experientia compertum est vbique gentium inueniri materiam sufficientem ad conficiendam eucharistiam. Si autem in vna regione deesset, aut panis, aut vinum, non deberet vnica materia consecrari, quia hoc esset contra perfectionem sacramenti per modum spiritualis conuiuij, quod exigit vtramque materiam.

QVAESTIO XXXI.

De quantitate, presentia, & determinatione materiae consecrabilis.

S. Th. qu. 74. art. 2.

1. **Q**uæritur primo, vtrum possit valide consecrari materia quædam maxima.

Respondeo, quod aliqui, quos tenet Sanctus Thomas hic quæst. 74. art. 2.auerunt sacerdotem non posse consecrare maximam materiam, etiamsi habeat illam presentem sensibiliter: ex. gr. non posse valide consecrare integrum dolium vini, vel totum panem, qui est in foro. Reicit hanc opinionem S. Thomas &c. Nam tota materia, quæ potest esse necessaria ad usum fidelium, potest valide consecrari; sed fideles possunt esse plures, & plures, adeoque possunt esse tot, vbi illis non sufficeret integrum dolium vini, & totus panis, qui est in foro; ergo potest valide consecrari etiam totus panis, qui est in foro, & totum vinum, quod est in vno, & pluribus dolijs; & sicut fideles possunt esse plures, & plures, ita Christus non determinauit quantitatem materiae consecrabilis, sed dedit sacerdotibus potestatem consecrandi materiam maiorem, & maiorem, dummodo habeat illam sensibiliter presentem, ita ut possint illam designare pronomine demonstratiuo.

2. Quæritur secundo, vtrum possit valide consecrari materia minor, & minor in infinitum.

Respondeo certum esse apud omnes, quod quælibet materia minor, & minor potest valide consecrari, si sit coniuncta alteri materiae. Ratio est, quia cum consecratur hostia ex. gr. consecrantur omnes partes talis hostiæ; sed in hostia dantur partes minores, & minores in infinitum; ergo consecratur partes minores, & minores in infinitum. Constat rursus, quod quælibet materia minor, & minor etiam separata potest consecrari, dummodo sit sensibilis. Ratio est, quia quilibet panis, licet minor, & minor, si est sensibilis potest designari pronomine demonstratiuo hoc, & ex alia parte est materia; ergo nihil illi deest, quin possit consecrari. Hoc positum quæritur, an si detur panis ita paruus, ut non sit sensibilis vli hominis, possit valide consecrari, & vtrum si ab hostia consecrata separaretur fragmentum adeo paruus, ut non esset sensibilis, sed sub tali quantitate possit retineri substantia panis, post separationem retineret corpus Christi.

3. Sotus docet quæcumque partem panis, ac vini, dummodo habeat quantitatem requisitam ad hoc, ut sub ea conseruetur substantia panis, & vini, posse valide consecrari etiamsi ratione paruitatis sit insensibilis, multo magis post consecrationem sub tali quantitate separata, conseruari corpus, & sanguinem Christi, quod vltimum censet incertum, ut existimet oppositum esse manifestum errorem. Maior in 4. distinct. 11. quæst. 1. docet non solum non posse ab initio consecrari partem separatam ita paruam, ut non sit sensibilis, sed etiam talem partem, si separatur post consecrationem, non posse retinere corpus, & sanguinem Christi. Suarez disp. 43. sect. 7. & 8. & Vasquez disp. 17. cap. 1. docent, quod materia separata ita parua, non

non sit sensibilis consecranti, non potest validè consecrari, sed si post consecrationem separaretur, potest sub illis speciebus retinere corpus, & sanguinem Christi. Differunt tamen Suarez, & Vasquez in modo hoc secundum defendendi. Vasquez enim existimat eatenus sub tali materia posse consecrari corpus, & sanguinem Christi, quatenus putat nullam materiam posse esse ita parvam, vt sit insensibilis, & simul in ea conseruetur substantia panis, & vini. Suarez è conuerso admittit, quod etiamsi materia propter paruitatem sit insensibilis omni homini, adhuc sub ea conseruetur substantia panis, & vini.

4. Dicendum, quod materia ita parua, vt non sit sensibilis consecranti, etiamsi sit sensibilis alteri, non potest validè consecrari. Probat: nam, vt materia sit validè consecrabilis, debet posse à consecrante designari pronomine demonstratiuo *hoc*; sed materia ita parua, vt non sit sensibilis consecranti, non potest designari pronomine demonstratiuo *hoc*; ergo &c. Neque dicas, quod talis materia potest designari mediâtè vt cõtenta aliquo vase. Nam ad hoc, vt materia possit designari mediâtè, & vt contenta aliquo vase, debet esse designabilis secundum se, & immediâtè; ergo si secundum se, & immediâtè non sit designabilis, non potest designari vt contenta in aliquo vase designatione sufficiente ad consecrationem.

5. Si tamen ex hostia consecrata auferatur fragmentum ita paruum, vt non sit sensibile consecranti, sed sit sensibile alicui homini, sub tali fragmento conseruetur corpus Christi. Ratio est, quia tale fragmentum est simpliciter, & absolûtè sensibile; ergo non est illa ratio, propter quam sub eo non conseruetur corpus Christi. Adde probabile esse, quod etiamsi fragmentum sit adeo paruum, vt nulli homini sit sensibile, adhuc, si posset in tali paruitate conseruari substantia panis, retineret corpus Christi. Ratio est, quia corpus Christi succedit substantiæ panis, adeoque tandiù debet conseruari sub speciebus, quamdiù sub ipsis conseruaretur substantia panis; ergo si sub tali paruitate conseruaretur substantia panis, conseruaretur etiam corpus Christi. Confirmatur: nam per consecrationem fit transsubstantiatio, per quam loco substantiæ panis succedit sub iisdem accidentibus corpus Christi, & non potest dari regressus, ita vt remanentibus accidentibus panis, possit loco corporis Christi sub talibus accidentibus poni substantia panis; sed si sub eo fragmento non remaneret corpus Christi, remanentibus accidentibus panis, sub ijs accidentibus loco corporis Christi poneretur substantia panis; ergo &c.

6. Cõfirmatur rursus: de ratione enim sacramenti est solum, vt per se sit sensibile, ideoque si per se sit sensibile, etiamsi per accidens non possit sentiri, adhuc est sacramentum. Quia igitur illud fragmentum per se esset sen-

sibile, licet per accidens ratione separationis ab alijs partibus non posset sentiri, adhuc remaneret sacramentum. Regula generalis, quod materia sub illis accidentibus est consecrabilis, sub quibus post consecrationem potest conseruari corpus, & sanguis Christi, debet intelligi, quod talis materia potest consecrari, dummodo habeat requisita ad hoc, vt designetur pronomine demonstratiuo *hoc*. Si autem habeat magnitudinem, vel paruitatem, aut distantiam, propter quas designari non posset pronomine demonstratiuo *hoc*, procul dubio non potest consecrari.

7. Quæritur tertio, vtrum materia, quæ consecratur, debeat esse certa, & determinata.

Respondeo, quod materia, quæ consecratur, debet esse certa, ac determinata per intentionem consecrantis, vt docet sententia communis. Probat: primo: nam actiones fiunt circa materiam determinatam: ex gr. non sanatur homo, vt sic, neque indiuiduum vagum, sed hic homo determinatus, puta Petrus, idemque dic de alijs actionibus; sed consecratio est quædam actio, per quam corpus, & sanguis Christi ponitur sub accidentibus panis, & vini; ergo non potest consecrari panis indeterminatus, vel vinum indeterminatum, sed debet consecrari hic panis, & hoc vinum; sed solum ille panis, & illud vinum consecratur, quod sacerdos vult consecrare: ergo sacerdos debet habere intentionem frangendi materiam certam, & determinatam, & si hanc intentionem non habet, non validè consecrat. Confirmatur: nam intentio debet correspondere verbis; sed verba significant materiam determinatam, siquidem *ly hoc* significat materiam certam, & determinatam; ergo intentio debet designare materiam certam, & determinatam.

8. Infertur primo, quod si sacerdos habeat ante se plures hostias, ac velit consecrare quasdam tantum ex illis, non determinando quas, nullam consecraret. Ratio est, quia neque consecraret omnes, neque aliquas tantum; ergo nullas. Non consecraret omnes, quia non haberet intentionem consecrandi omnes; nec consecraret aliquas tantum, quia non esset maior ratio, cur consecraret potius has, quam illas, siquidem sua intentione id non definiret. Ex eadem ratione, si sacerdos haberet ante se decem hostias, & vellet consecrare nouem tantum, sed illas sua intentione non determinaret, nullam consecraret: similiter si vellet consecrare medietatem hostiæ, sed non determinaret, vtrum vellet consecrare medietatem dextram, vel sinistram, nullam medietatem consecraret. Ex opposita ratione si haberet ante se decem hostias, & vellet consecrare nouem, illas determinando, consecraret illas nouem, decimam autem non consecraret; & si habens hostiam in manibus vellet consecrare dextram illius medietatem, non autem sinistram, consecraret medietatem dextram.

dextram, quia iam sua intentione designaret materiam certam, & determinatam. Rursus, si sacerdos habet intentionem consecrandi omnes hostias illi propositas, sed putat illas esse decem, cum sint undecim, consecrat omnes undecim. Ratio est, quia error priuatus circa numerum hostiarum non facit, quo minus habeat intentionem consecrandi omnes hostias illi propositas; ergo non obstante tali errore, consecrat omnes hostias illi propositas.

9. Inferitur secundo, quod regulariter, sacerdotes non consecrant fragmenta dispersa in corporali, & separata ab hostijs. Ratio est, quia regulariter sacerdotes non habent, nec debent habere intentionem consecrandi totam materiam dispersam in corporali, sed solum hostiam, quam habent in manibus, & alias hostias, quæ sunt in sacro vase, vel quæ sunt propositæ ad consecrandum in corporali; ergo talis intentio non fertur ad fragmenta separata ab hostijs, & in corporali dispersa. Ex eadem ratione docet Suarius, quod regulariter consecrant solum vinum, quod est in calice per modum vnius continui, non autem guttas in eodem calice dispersas, quia non habent intentionem consecrandi tales guttas, sed solum habent intentionem consecrandi vinum illud continuum: saltem putat Suarius, quod hanc solum intentionem deberent habere.

10. Inferitur tertio, quod si sacerdos habens ante se decem hostias, haberet intentionem consecrandi solas nouem, hoc est illas, quas Deus determinauit, vel quas alius homo determinat, nullam consecraret. Ratio est, quia pronomine demonstratiuum *hoc* significat, quod ipse consecrans determinet materiam; ergo non potest consecrare materiam, quam ipse consecrans non determinet, sed relinquat determinationi Dei, vel alterius hominis. Si tamen notum esset sacerdoti, quas hostias Deus, vel alius homo determinaret, tunc posset illas designare pronomine demonstratiuo *hoc*, adeoque posset validè consecrare.

11. Quamuis admittamus, quod si sacerdos applicet sacrificium illi animæ purgatorij, quam Deus determinat, validè applicat, & quod similiter si sacerdos velit absolueri ab vno tantum peccato veniali, quod Deus determinat, validè absoluit, tamen non sequitur, quod si habeat intentionem consecrandi illas hostias, quas Deus determinauerit, validè consecrat. Disparitas est, quia materia consecrationis debet designari pronomine demonstratiuo *hoc*; sed non potest pronomine demonstratiuo *hoc* designari id, quod Deus determinat, cum sit ignotum consecranti; ergo non possunt validè consecrari illæ hostiæ, quas Deus determinat, si sint ignotæ consecranti. At verò sacrificium si applicetur, non debet designari anima, cui applicatur, pronomine demonstratiuo; in absolu-

tione nõ debent designari peccata pronomine demonstratiuo; ergo &c. Confirmatur solutio: nam quia in absolute sacramento debet designari persona, quæ absoluitur, pronomine demonstratiuo, dicendo, *Ego te absoluo*, si quis haberet intentionem absolueri ex duobus, qui peccata sunt confessi, non tantum, hoc est illum, quem Deus determinaret, non absolueret validè: ergo proportionaliter quia per consecrationem debet designari materia, quæ consecratur, qui vellet consecrare illam hostiam, quam Deus determinat, inualidè consecraret.

12. Addo id, quod supponitur, non esse certum. Nam quoad primam partem de applicatione sacrificij, licet Suarius concedat, sacrificium validè applicari pro ea anima purgatorij, quam Deus determinauerit, tamen Vasquez docet talem applicationem esse inualidam. Fundamentum est, quia sacerdos debet applicare sacrificium, non autem Deus, ergo si sacerdos velit, vt Deus applicet, nihil efficiet. Confirmatur: nam Deus cooperatur vt causa vniuersalis, adeoque non concurrat ad effectus determinatos, nisi eum determinetur ad concurrendum à causis secundis; ergo si causæ secundæ sint indeterminatæ, Deus singulariter non concurrat, adeoque effectus non producitur. Explicatur exemplo. Si aliquis dicat: *Ego volo moueri ad dextram, vel ad sinistram, & ad illam partem, quam Deus determinauerit*, non mouetur, neque ad dextram, neque ad sinistram, quia Deus non determinat talem motum: rursus, si quis dicat: *Ego volo donare pallium Petro, vel Paulo, vel alteri, quem Deus determinauerit*, nulli donat; ergo etiam si quis dixerit, *Ego volo offerre sacrificium pro illa anima purgatorij, quam Deus determinauerit*, applicatio est inualida, & pro nulla offert. Concedit tamen Vasquez, quod si aliquis dicat: *Ego volo applicare sacrificium pro illa anima purgatorij, que magis eo indiget, vel pro ea, pro qua tenet, & applicare*, applicatio est valida, quia cadit super aliquam materiam determinatam. Quoad secundam etiam partem de absolute ab vno ex duobus peccatis venialibus, Suarius concedit talem absoluteionem esse validam, Vasquez autem putat esse inualidam. Ratio est, quia cum sacerdos absoluendo exerceat actum iurisdictionis, debet determinare materiam, hoc est peccata, à quibus absoluit; ergo si velit quæ materiam determinationi diuinæ, nihil efficiet.

13. Quæritur quarto, vtrum materia ad hoc, vt possit validè consecrari, debeat esse sensibiliter præsens ministro consecranti.

Respondeo, quod materia ad hoc, vt possit validè consecrari, debet esse sensibiliter præsens ministro, & non sufficit, vt sit præsens intelligibiliter, vt docet sententia communis, & certa omnium Theologorum. Probatur ex forma consecrationis, qua dicitur: *hoc est corpus, hic est sanguis*; sed pronomine *hoc* significat præsentiam sensibilem; ergo nõ

Ex simili ratione non potest validè baptizari, confirmari, absolui, ordinari, & sacramento extremæ vñditionis vngi, nisi qui sit sensibiliter præsens ministro, quia formæ talium sacramentorum, quæ sunt, *baptizo te, signo te, absolvo te*, significant subiectum esse sensibiliter præsens ministro. Ex eo autem, quod possunt coniuges mutuo sibi ministrare sacramentum matrimonij, etiamsi non sint præsentés sensibiliter, sed solum sint sibi mutuo præsentés intelligibiliter, per cognitionem, & intentionem, qua se mutuo designant, non sequitur, quod etiam ad alia sacramenta ministranda, & conficienda sufficit præsentia intelligibilis, & non requiritur præsentia sensibilis. Disparitas enim est, quia Christus contractum matrimonij, prout ante fiebat, eleuavit ad rationem sacramenti: sed ad faciendum contractum matrimonij non requirebatur præsentia sensibilis coniugum, sed sufficiebat præsentia intelligibilis, sicut sufficit ad contractum venditionis, emptionis &c. ergo ad ministrandum sacramentum matrimonij non requiritur præsentia sensibilis, sed sufficit præsentia intelligibilis coniugum. E conuerso Christus instituens alia sacramenta determinauit certas materias, & certas formas verborum; sed tales formæ verborum significant præsentiam sensibilem; ergo ad talia sacramenta ministranda requiritur præsentia sensibilis, vt patet etiam ex traditione, & ex perpetuo vsu Ecclesiæ, quæ semper formas horum sacramentorum intellexit ita, vt significat præsentiam sensibilem.

14. Queritur quinto, quænam propinquitas requiratur ad hoc, vt materia sit ita sensibiliter præsens ministro, vt possit validè consecrari.

Respondeo, quod vt materia sit sensibiliter præsens ministro, adeoque possit validè consecrari, requiritur, & sufficit propinquitas sufficiens ad illam sensibiliter designandâ per pronomen demonstratiuû *hoc*. Hinc sequitur, quod si materia adeo distet, vt non possit designari, dicendo *hoc*, sed solum possit designari, dicendo illud, non potest validè consecrari.

15. Sed queritur vterius, quænam propinquitas requiratur ad hoc, vt materia possit designari pronomine demonstratiuo *hoc*.

Vt id aliquatiter explicem, præmittendum est, quænam propinquitas requiratur ad hoc, vt quis possit sacramentaliter absoluit. Probabile est, quod ad hoc, vt quis possit validè sacramentaliter absolui, debet esse intra distantiã, intra quam potest humana vox sensibiliter propagari. Ratio est, quia vt pœnitens possit validè absolui, debet esse intra distantiã, intra quam possit propriè dici; *Ego absoluo*; sed intra spatium, in quò potest vox humana propagari sensibiliter, potest dici *Ego absoluo*, in maiori distantiã non potest hoc propriè dici; ergo vt pœnitens possit validè absolui, debet esse intra distantiã, in qua potest sensibiliter vox humana propagari; si

fit in maiori distantiã, non potest validè absolui. Hoc posito, probabile est, quod vt materia possit validè consecrari, debet esse intra dimidium distantiã, per quam potest vox humana sensibiliter propagari, ex. gr. quod si vox humana potest sensibiliter propagari per centum passus, materia, vt possit validè consecrari, debet esse intra distantiã quinquaginta passuum. Ratio est, quia intra illam distantiã materia potest validè consecrari, intra quam potest designari pronomine demonstratiuo *hoc*; sed posito, quod vox humana possit sensibiliter propagari per centum passus, materia potest solum designari pronomine demonstratiuo *hoc*, si sit intra distantiã quinquaginta passuum, si autem magis distet à loquente, quam passibus quinquaginta, non potest propriè designari pronomine demonstratiuo *hoc*, sed solum potest designari pronomine demonstratiuo *illud*; ergo &c. Probat minor; cum enim locutio sit ad alterum, hoc est ad audientem, in ea solum distantiã potest materia designari pronomine demonstratiuo *hoc*, in qua potest designari loquendo cum audiente distantiissimo; sed audiens distantiissimus supponitur esse, qui distat à loquente per centum passus, siquidem supponitur vocem humanam posse sensibiliter propagari solum per centum passus; ergo in ea solum distantiã materia potest designari pronomine demonstratiuo *hoc*, in qua potest designari loquendo cum audiente, qui distet centum passibus à loquente; sed loquendo cum audiente, qui distet centum passibus à loquente, pronomine demonstratiuo *hoc* solum possumus designare materiam, quæ sit intra distantiã quinquaginta passuum, materiam magis distantem non possumus designare pronomine demonstratiuo *hoc*, sed solum pronomine demonstratiuo *illud*; ergo &c. Probat assumptum: nam illud solum, quod est propinquius loquenti, quam audienti, designatur pronomine demonstratiuo *hoc*, quod autem est propinquius audienti, non potest designari pronomine *hoc*, sed solum pronomine *illud*; ergo &c.

16. Nec dicas: quando quis videt ciuitatem ex aliqua magna distantiã, designat illam pronomine demonstratiuo, ac dicit *hæc est talis ciuitas*; ergo potest aliquid designari pronomine demonstratiuo *hoc* in multo maiori distantiã, quam sit iam explicata.

Respondeo argumentum nimis probare. Aliquando enim videndo lunam, solem, & stellas etiam fixas dicimus *hæc est luna, hic est sol, hic est canis maior &c.* ergo sequeretur, quod nulla esset distantiã, ex qua materia non posset consecrari, dummodo videretur, adeoque esset præsens visui. Confirmatur; nam aliquando etiam ea, quæ sunt intelligibiliter præsentia, designantur pronomine demonstratiuo *hoc*, cum dicimus *hæc est sententia Aristotelis de æternitate mundi*; ergo &c. Dicendum igitur, quod pronomen *hoc* potest sumi tripliciter; strictè, largè, & largissimè. Si sumatur strictè,

strictè, significat obiectum sensibilibus, & physicè præsens loquenti per certam propinquitatem, quam iam assignauimus. Si sumatur largè, significat obiectum sensibilibus præsens loquenti, abstrahendo ab hoc, quod habeat certam propinquitatem physicam. Si sumatur largissimè, significat obiectum intelligibiliter præsens loquenti, abstrahendo ab hoc, quod sit præsens sensibilibus, ac physicè per certam propinquitatem. Pronomen demonstratiuum hoc, prout profertur in verbis consecrationis, sumitur strictè, & significat obiectum etiam physicè præsens per certam propinquitatem, ideoque materia, si sit in maiori distantia, non potest validè consecrari,

17. Quæritur sexto, vtrum ad hoc, vt materia sit physicè, & sensibilibus præsens ministro, adeoque possit validè consecrari, præter propinquitatem localem iam explicatam, requirantur aliæ conditiones?

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia, vt materia possit validè consecrari, debet posse designari pronomine demonstratiuo *hoc*; sed etiam si habeat propinquitatem explicatam, deficientibus alijs conditionibus, non poterit designari pronomine demonstratiuo *hoc*; ergo. Probat minor: si enim materia sit à tergo loquentis, ac loquens non indicet illam digito, vel alio simili signo, non potest designari pronomine demonstratiuo *hoc*; rursus neque potest designari, si paries sit interpositus inter sacerdotem, & materiam; ergo vt materia sit proximè designabilis, præter propinquitatem localem requiruntur aliæ conditiones.

18. Ex dictis infertur primò, quod sacerdos non potest validè consecrare materiam à tergo existentem, nisi digito, vel alio simili signo illam designet: si autem designet materiam digito, vel alio simili signo, potest illam validè consecrare.

19. Infertur secundò, quod non potest validè consecrare materiam, si inter ipsum, & talem materiam sit interpositus paries, vel aliud corpus simile. E conuerso potest validè consecrare materiam coopertam velo, vel clausam inter aliquod vas. Ratio est, quia, cum vas est præsens, licet sit clausum, pronomine *hoc* possumus designare id, quod est intra tale vas, eo pacto, quo designando vas clausum, quod sit plenum vino, possumus dicere *hoc est vinum*.

20. Infertur tertio probabile esse, quod potest validè consecrari panis existens intra altaris tabernaculum clausum. Ratio est, quia, sicut etiam si panis sit clausus intra arcam ligneam, possumus dicere *hic est panis*, sic etiam si sit clausus intra tabernaculum altaris ligneum, possumus illum designare, dicendo *hic est panis*; ergo possumus etiam consecrare, dicendo *hoc est corpus meum*. Et confirmatur: nam sacerdos existens in altari, etiam si tabernaculum sit clausum, potest dicere *hoc est sacramentum eucharistiae*; ergo pronomine *hoc* potest designa-

re id, quod est intra tabernaculum clausum, sed quod potest designari pronomine demonstratiuo *hoc*, potest validè consecrari; ergo. Quia tamen consecratio non est exponenda incertitudini opinionum, in eaque sententiæ sunt ritus, & consuetudines ecclesiæ, ne grauius peccaret, qui consecraret panem clausum in tabernaculo, & existimo, quod talis panis deberet iterum consecrari sub eadem conditione.

21. Infertur quarto, quod dum materia est in altari, semper habet sufficientem præsentiam ad hoc, vt consecratur, adeoque consecratur, si ad illam dirigatur intentio.

22. Quæritur septimo, vtrum ad hoc, vt materia possit validè consecrari, sufficiat, vt sit præsens secundum aliquam sui partem.

Respondeo, quod Suarez disp. 43. sectione prima docet, non sufficere, vt materia sit præsens secundum aliquam sui partem, sed requiri, vt sit præsens secundum omnes partes. Vasquez disp. 171. cap. 3. num. 15. docet sufficere, vt materia sit præsens secundum partem.

23. Dicendum cum prima sententia. Probabilius, quod vt materia possit tota validè consecrari, non sufficit, vt sit præsens secundum aliquam partem continuam cum alijs partibus, sed requiritur, vt sit præsens secundum omnes partes, ita vt nulla pars sit extra propinquitatem per se requisitam.

24. Probat minor: nam ad hoc, vt materia possit tota validè consecrari, requiritur, vt tota possit designari pronomine demonstratiuo *hoc*; sed ad hoc, vt tota materia possit designari pronomine demonstratiuo *hoc*, non sufficit, vt sit præsens secundum aliquam partem; ergo ad hoc, vt materia possit validè consecrari non sufficit, vt sit præsens secundum aliquam partem continuam cum alijs partibus. Probat minor: si enim materia, quæ est præsens secundum aliquam partem continuam cum alijs, eo ipso posset designari pronomine demonstratiuo *hoc*, existens in littore maris posset designare pronomine demonstratiuo *hoc* totum oceanum; sed existens in littore oceanum non potest designare pronomine demonstratiuo totum oceanum; ergo &c. Probatur minor: si enim existens in littore oceanum posset pronomine demonstratiuo designare totum oceanum, posset dicere *hic est totus oceanus*, cum enim *ly hic* designet totum, posset etiam subiecto designato *ly hic* prædicari totus oceanus; sed existens in littore oceanum non potest dicere *hic est totus oceanus*; ergo existens in littore oceanum non potest pronomine demonstratiuo designare totum oceanum. Hinc applicatur, quem sensum habeat propositio, existens in littore oceanum dicit *hic est oceanus*. Dicendum, quod vel significatur *hec est pars oceanum*, vel significatur *hic est oceanus*, abstrahendo ab hoc, quod sit totus oceanus, vel pars oceanum: & quia propositio abstrahens à partibus sensibus sufficienter verificatur per al-

rum ex talibus sensibus, ideo propositio illa
hic est oceanus sufficienter verificatur per hoc,
quod id, quod designatur pronomine de-
monstrativo, sit pars oceani.

25. Dices: qui est in littore lacus, ex quo
videat totum lacum, potest dicere *hic est totus
lacus*; ergo totus lacus habet præsentiam suf-
ficientem ad illum consecrandum, si esset ma-
teria consecrabilis.

Respondeo ex dictis quod tum *ly*
hic sumitur latè, prout significat obie-
ctum præsens visioni, eo pacto, quo quis vi-
dens totum hemisphærum potest dicere *hoc*
est totum hemisphærum; sed ex dictis pro-
nomen *hoc* in verbis consecrationis sumitur
strictè, in quantum non solum significat præ-
sentiam intentionalem visioni, sed præsen-
tiam physicam per propinquitatem iam ex-
plicatam; ergo &c.

QVÆSTIO CXXXII.

*Virum solus panis triticeus sit
materia eucharistiæ?*

S. Thom. qu. 74. art. 3.

1. Solus panis triticeus est materia eucha-
ristiæ, ut cum sententia communi, &
certa S. Thomæ docent Theologi commu-
niter. Probat ex decreto pro Armenis Eu-
genij IV. in Concilio Florentino, ubi loquens
de materia eucharistiæ dicit: *Cuius materia est
panis triticeus, & vinum ex vite*. Licet autem
aliqui dixerint Eugenium assignasse solum
materiam sufficientem, non autem materiam
necessariam eucharistiæ, adeoque non inferri
panem confectum ex alijs generibus frumen-
ti inualidè consecrari, tamen dicendum Eu-
genium assignare materiam necessariam. Pro-
batur: nam assignans materiam aliorum sa-
cramentorum, assignat materiam necessa-
riam; ergo etiam assignans materiam eucha-
ristiæ assignat materiam necessariam. Confir-
matur: nam eodem modo assignat panem tri-
ticeum ut materiam corporis, ac vinum de
vite ut materiam sanguinis: sed constat vi-
num de vite esse materiam necessariam san-
guinis, ita ut solum vinum de vite possit vali-
dè consecrari; ergo etiam panis triticeus est
materia necessaria corporis, ita ut solus panis
triticeus possit validè consecrari.

2. Ratio, quare Christus voluerit solum
panem triticeum esse materiam eucharistiæ, est,
quia sicut instituens baptismum per modum
ablutionis, voluit materiam baptismi esse so-
lam aquam naturalem, quia sola aqua natu-
rali communiter homines utuntur ad abluen-
dum, sic instituens eucharistiam per modum
panis, ac vini, voluit materiam eucharistiæ
esse solum illam speciem panis, quo com-
muniter homines utuntur; sed homines com-
muniter per se utuntur solum pane triticeo,

Tom. III.

alijs autem generibus panis utuntur in defe-
ctum panis triticeus; ergo &c.

3. Hinc inferitur primò panem confectum
ex castaneis, herbis, fabis, alijsque legumini-
bus non posse validè consecrari.

4. Inferitur secundò falsam esse sententiam
Gabrielis, qui opinatus est panem confectum
ex qualibet specie frumenti posse validè con-
secrari. Dicitur autem frumentum quodlibet
granum, in quo sit arista: & quia etiam
hordeum habet aristam, ideo censuit etiam hor-
deum posse validè consecrari. Fundamentum
Gabrielis fuit, quia plures antiqui patres, &
plura antiqua concilia assignant materiam eu-
charistiæ panem ex frumento. Sed dicendum,
quod tales auctores nomine frumenti intelle-
xerunt solum triticum, quod est præcipua
species frumenti.

5. Inferitur tertio falsam etiam esse opi-
nionem Halensis, Alberti, Argentini, Palu-
dani, & Dominici Soti, quos refert Valquez,
disp. 17. cap. 2. docentium posse validè con-
secrari panem confectum ex spelta, & farre,
licet negauerint posse validè consecrari pa-
nem hordeaceum. Addit Caietanus posse va-
lidè consecrari panem omnem factum ex qua-
cumque specie frumenti, dummodo simpli-
citer vocari possit panis. Reijcitur hæc opi-
nio à S. Thoma in responsione ad secundum.
Nam spelta, far &c. specie differunt à tritico,
& non sunt triticum; sed solus panis triti-
ceus est materia consecrationis: ergo &c.

6. Inferit quartò S. Thomas validè con-
secrari panem ex qualibet specie tritici, sicut
potest validè consecrari vinum ex vite cuius-
cunque sit speciei. Hinc sequitur, ut docet
idem S. Thomas in responsione ad secundum,
quod potest validè consecrari panis confe-
ctus ex siligine. Ratio est, quia siligo nil aliud
est, quam triticum aliquid degenerans à
sua perfectione, ideoque ex tritico fato in ma-
lis terris nascitur siligo. Debet tamen adverti,
quod non sufficit ad hoc, ut frumentum sit
eiusdem speciei cum tritico, ut nasci possit ex
tritico in malis terris fato, siquidem triticum
in malis terris fatum potest degenerare in fru-
mentum diuersæ speciei, eo pacto, quo in agro
leodiensi dicitur degenerare in speltam, & in
quibusdam alijs terris degenerat in hordeum.
Ex alijs ergo accidentibus debet considerari,
an aliquod frumentum sit species tritici, vel
non.

7. Panis triticeus ad hoc, ut possit validè
consecrari, debet esse confectus ex farina, &
aqua naturali, ac debet coqui in clibano. Ra-
tio, quare debeat esse factus ex farina, & aqua
naturali, est, quia substantia panis non solum
includit farinam, sed etiam aquam; ergo si-
cut debet esse confectus ex farina tritici, quia
communiter homines utuntur pane confecto
ex farina tritici, sic debet esse confectus ex
aqua naturali, quia communiter homines
utuntur pane confecto ex aqua naturali. Ra-
tio, quare debeat esse coctus, est, quia massa

Li

con-

confecta ex farina, & aqua, antequam coquatur, simpliciter non est panis, nec habet usum panis. Hinc infertur primò massam antequam coquatur non posse validè consecrari. Infertur secundò panem confectum ex farina, & oleo, vel lacte, vel aqua rosacea, non posse consecrari validè.

8. Si panis sit ita corruptus, vt iam amiserit speciem panis, non potest validè consecrari: si autem ita sit in via ad corruptionem, vt adhuc retineat speciem panis, potest validè consecrari. Peccaret tamen grauius, qui saltem extra casum necessitatis consecraret talem panem. Ex proportionali ratione panis confectus ex tritico ita corrupto, vt iam amiserit speciem tritici, non potest validè consecrari: at panis confectus ex tritico, quod ita sit in via ad corruptionem, vt adhuc non amiserit speciem tritici, potest validè consecrari, licet peccaret, qui consecraret hunc panem. Hinc S. Thomas in responsione ad tertium dicit, quod quia amidum fit ex tritico corrupto, videtur, quod panis ex amidum confectus non possit validè consecrari, licet quidam contrarium doceant. Quod autem amidum fiat ex tritico corrupto, probatur. Nam amidum exprimitur ex tritico madefactio; sed per talem madefactionem triticum corrumpitur, vt patet ex pessimo odore, tum aquæ, in qua triticum fuit madefactum, tum tritici madefacti in aqua; ergo &c. Similiter, vt docet S. Thomas in responsione ad secundum, alijque communiter, cum panis est confectus ex farina tritici mista cum farinis aliarum rerum, si præualeat quantitas farinæ triticæ, remanet triticus, adeoque potest validè consecrari: at si præualeat farina non triticæ, panis non remanet triticus, adeoque non potest validè consecrari.

Verum eucharistia debeat confici ex azymo, an ex fermentato?

S. Tho. quest. 74. art. 4.

1. **Q**uia ad examinandam quæstionem, in qua quæritur, vt trum eucharistia confici debeat in azymo, vel in fermentato, valde confert solutio alterius quæstionis, in qua quæritur, vt trum Christus confecerit eucharistiam ex azymo, an ex fermentato: solutio autem huius quæstionis, vt patebit, pendet ab altera quæstione, in qua quæritur, quæ die Christus celebrauerit pascha, & vltimam cenam, in qua eucharistiam instituit; ideo primo statuemus, quæ die Iudæi iuxta legem deberent celebrare pascha: secundò examinabimus, quæ die Christus celebrauerit pascha, & vltimam cenam: tertio demum respondimus quæstioni propositæ.

QVÆSTIO CXXXIII.

Qua die Iudæi deberent celebrare pascha.

S. Tho. quest. 74. art. 4.

1. **C**ertum est primò, quod Iudæi veterum mensibus lunariis, qui incipiebant à nouilunio, ita vt prima dies mensis esset prima dies luna &c. dies autem inchoabant à solis occasu, sicut græci, & latini inchoabant à media nocte, quædam alie rationes ab ortu Solis.

2. Certum est secundò, quod primus mensis Iudæorum incipiebat à nouilunio propinquo æquinoctio verno, quod æquinoctium incidit in diem circiter vigesimam primam Martij: & quia nouilunium propinquo æquinoctio verno aliquando fit ante vigesimam primam Martij, aliquando post eam mensis Iudæorum aliquando incipit ante vigesimam primam nostri Martij, aliquando post, & etiam aliqua die nostri Aprilis.

3. Certum est tertio, quod Deus Exodus 12. præcepit Iudæis celebrationem paschæ, septem dierum azymorum per hæc verba: *Mensis iste vobis principium mensium, primus est in mensibus anni. Primò die mensis huius unusquisque agnum per familias, & domos suas, & seruabitur cum usque ad decimum quartum mensis huius: immolabitque eum vniversa multitudo filiorum Israel ad vesperam, & edent eam nocte illa assas igni, & azymos panes cum lacte agrestibus: est enim phase, idest transitus Domini. Habebitis autem hunc diem in monumentum: & celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno. Septem diebus azymos comedetis. In die primo non erit fermentum in domibus vestris. Dies prima erit sancta, atque solennis: & dies septima eadem festiuitate venerabilis: & operis facietis in eis, exceptis ijs, quæ ad vescentia pertinent.*

4. Ex allatis verbis infertur, quod pascha Iudæorum incipiebat celebrari in fine diei decimæ quartæ, sed absoluebatur initio diei decimæ quintæ, quæ erat prima dies azymorum. Probatur. Nam celebratio paschæ includebat immolationem agni, & eiusdem assationem, & comestionem; sed immolatio agebatur vespere decimæ quartæ, & quia multum temporis infumebatur in immolatione, assatione, & comestione, comestio non poterat absolui, nisi post occasum solis, à quo occasus incipiebat dies decima quinta, quæ erat prima dies azymorum, & cum esset festiua, celebrabatur à vespere ad vespem, iuxta illud legis Leu. 23. *à vespere usque ad vespem celebrabitis sabbata vestra, vbi, vt notant interpretes nomine sabbatorum intelligitur omnes dies festiui; ergo celebratio paschæ incipiebat in fine decimæ quartæ, sed absoluebatur initio decimæ quintæ.*

seu primæ azymorum. Confirmatur ex ipso modo loquendi legis in verbis citatis exod. 12. Loquens enim de immolatione agni præcipit, ut fiat ad vesperam decimæ quartæ, dicens: *immolabitque eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam: loquens verò dei comestione præcipit, ut fiat nocte, hoc est post occasum solis, adeoque initio decimæ quintæ, quæ est prima azymorum, dicens: & edent carnes nocte illa assus igni.* Aduertit etiam Maldonatius in cap. 26. Matthæi, quod vbi in nostra vulgata dicitur celebrationem paschalis faciendam ad vesperam decimæ quartæ, verbum hebræum significat faciendam inter duas vespèras, quia nimirum incipiebat prope occasum solis, adeoque in vespera, quæ erat finis diei decimæ quartæ, & absoluebatur post occasum solis in vespera, quæ erat principium diei decimæ quintæ. Quia verò pascha celebrabatur partim in fine decimæ quartæ, partim in principio decimæ quintæ, seu primæ azymorum, ideo Scriptura aliquando dicit pascha celebrari die 14. aliquando prima die azymorum, adeoque decimæ quintæ. Matthæi enim 26. dicitur, *primo die azymorum, quando pascha immolabatur: Lucæ 21. venit autem dies azymorum, in quo necesse erat occidi pascha.*

QVÆSTIO CXXXIV.

Qua die Christus celebrauerit pascha, & vltimam cenam, in qua eucharistiam instituit?

1. **C**onstat ex Euangelio, quod Christus etiam vltimo anno vitæ suæ celebravit pascha Iudæorum. Matthæi enim 26. postquam Apostoli interrogauerunt Christum: *vbi vis paremus tibi comedere pascha,* Christus autem ostendit eis, vbi pararent, addit, & *secerunt discipuli, sicut constituit illis Iesus, & parauerunt pascha.* Idem colligitur ex Marci 14. & Lucæ 22. Ideo vt erronea reijcitur opinio quorundam, qui vt referunt Theophilactus, & Eutymius in cap. 26. Matthæi, dixerunt Christum vltimo anno non celebrasse pascha Iudæorum. Fundamenta, quibus vtuntur isti auctores, nullius sunt momenti, vt patebit ex eorum solutione.

2. Primum fundamentum est. Matthæi 26. dicitur: *prima die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes, vbi vis paremus tibi comedere pascha;* sed pascha iuxta legem debebat celebrari ante primam diem azymorum; ergo cum Apostoli hæc interrogarunt, iam transierat tempus celebrandi pascha, adeoque Christus eo anno non potuit celebrare pascha. Respondetur, quod dies decimus quartus, in cuius vespera debebat celebrari pascha, & incipere à solis occasu prima dies azymorum, vocatur ab Evangelista prima dies azymorum, vt patet ex eo, quia si tempus celebrandi pascha

iam pertransisset, interrogatio discipulorum, & responsio Christi fuissent prorsus ineptæ.

3. Secundum fundamentum est, quia eodem cap. 26. Matthæi dicitur de Christo, *quod discumbat cum duodecim discipulis;* sed agnus paschalis iuxta legem debebat comedi à stantibus, non autem à discumbentibus; ergo &c. Respondeo primo, quod discumbere significat etiam accedere ad mensam; secundo quod Christus cum Apostolis postquam comederunt agnum paschalem stantes, discubuerunt ad cenam ordinariam, & de hac cena loquitur euangelista.

4. Tertium fundamentum est: iuxta legem agnus debebat in domum adduci decimo die mensis; sed Christus non potuit id facere, cum in ipsa die decima quarta adhuc non haberet locum paratum; ergo &c. Respondeo, quod Hierosolymitani hoc spiritibus ex vniuersa Iudæa aduenientibus ad celebrandum pascha, parabant cubacula, agnos, & omnia necessaria, eaque illis præbebant, vel gratis, vel accepto pretio.

Epiphanius hæresi 50. Chrysostomus homilia 22. in verba Ioannis 18. *non introierunt in pratorium, quem sequuti sunt Theophilactus in eundem locum Ioannis, Eutymius in cap. 26. Matthæi, & Nicephorus lib. 1. historiarum cap. 28. atque omnes recentiores graeci docuerunt Christum occisum fuisse die decima quarta lunæ, in qua Iudæi iuxta præscriptum legis debebant immolare pascha, adeoque Christum, cum celebrauerit pascha pridie, quam moreretur, celebrasse pascha die decima tertia ad vesperam, & sic per vnum diem anticipasse tempus præscriptum à lege.* Hinc Graeci inferunt Christum confecisse eucharistiam, non ex azymo, sed ex fermentato. Cum enim celebrauerit pascha ad vesperam, decimæ tertie post occasum solis, initio decimæ quartæ fecit vltimam cenam, in eaque instituit eucharistiam; sed dies azymi incipiebant solum initio decimæ quintæ; ergo Christus fecit vltimam cenam, antequam inciperent dies azymorum; sed solis diebus azymorum Iudæi vescabantur panibus azymis, cæteris temporibus vtabantur panibus fermentatis, vt est consuetum apud omnes nationes; ergo Christus in vltima cena vsus est panibus fermentatis, adeoque confecit eucharistiam ex fermentato, non ex azymo. Quidam alij Graecorum, hoc est Theodoretus, Theophilus Alexandrinus, & Victor Antiochenus, quos citat Vasquez 3. par. quæst. 172. cap. 2. num. 18. & omnes Latini, tum Patres, tum Scholastici, tum Scripturæ interpretes, docent Christum celebrasse pascha tempore præscripto à lege, hoc est ad vesperam decimæ quartæ, & initio decimæ quintæ, quæ erat prima azymorum.

5. Dicendum cum secunda sententia: Christus celebravit pascha tempore præscripto à lege.

Probatum primo ex manifestis locis trium

Euangelistarum Matthæi, Marci, & Lucæ. Matthæi 26. dicitur: *Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes, ubi vis paremus pascha &c.* deinde narrata responsione Christi, subdit: *Et fecerunt discipuli, sicut constituit illis Iesus, & parauerunt p. s. ha. Vespere autem discumbebat cum duodecim &c.* ergo Christus celebrauit pascha prima die azymorum; sed dies decima quarta est prima azymorum, quia ad vesperam incipiebant dies azymi, dies autem decima tertia nullo pacto est prima azymorum, siquidem dies azymi incipiebant solum in fine diei sequentis; ergo Christus celebrauit pascha, non die decima tertia, sed decima quarta ad vesperam. Marci 14. dicitur. *Prima die azymorum, quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli, quo vis eamus, & paremus tibi comedere pascha? &c.* & allata responsione Christi, subdit, *& parauerunt pascha: Vespere autem facta &c.* ergo Christus celebrauit pascha prima die azymorum ad vesperam, quando pascha immolabant, adeoque tempore præscripto à lege, non autem decima tertia ad vesperam, quæ non est prima dies azymorum, quando pascha immolabant. Lucæ 22. dicitur. *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. & paulo post, & parauerunt pascha, & cum facta esset hora, discubuit:* ergo Christus celebrauit pascha, cum venisset dies azymorum, quæ necesse erat occidi pascha, & cum facta esset hora occidendi pascha, adeoque omnino tempore præscripto à lege.

6. Respondet Eutymius, ad duo testimonia Matthæi, & Marci, quod illi duo Euangelistæ primam diem azymorum appellarunt diem immediate præcedentem.

Sed contra: nam hoc est, sicut si aliquis diceret, quod per primam diem Aprilis intelligatur vltima Martii, vel per primam diem quadragesimæ intelligatur vltima dies bachanalium.

7. Ad testimonium Lucæ responderet idem Eutymius, quod ubi interpret latinus vertit: *venit dies azymorum*, verbum græcum significare potest, *instabat prima dies azymorum*.

Sed contra: nam vt notant periti vtriusque linguæ, verbum græcum idē significat, ac *venit*, adeoque benè vertit interpret latinus. Rursus Lucas paulo ante ad significandum, quod appropinquabat dies festus azymorum, vtitur alio verbo; ergo cum deinde vtitur hoc verbo, non amplius significat, quod appropinquabat, sed quod venit. Demum vtriusque verbum, quo vtitur Lucas, esset ambiguum, ac posset significare, quod instabat, debet intelligi secundum sensum aliorum duorum Euangelistarum; sed alij duo Euangelistæ expressè dicunt, cenam fuisse factam prima die azymorum; ergo &c.

8. Aliqui posteriores Græci, vt refert S. Thomas in 4. dist. 11. quæst. 2. artic. 2. quæst. siuicula 3. & Alphonsus de Castro libro aduersus hæreses, verbo *Eucharistia*, hæresis secunda, oppressi testimonijs Euangelistarum impudenter dixerunt tres priores Euangelistas errasse,

ideoque correctos fuisse à Ioanne, qui in cap. 13. dixit: *Christum celebraffe vltimam cenam in diem festum Pasche.* Sed nos hoc loco supponimus scripturas, non autem disputamus contra eos, qui negant veritatem Scripturarum.

9. Probatur secundo conclusio, quia non est verisimile Christum, qui semper fuit obseruantissimus legis, instante morte, noluisse legem obseruare, præsertim cum de hære obferuantia fuisset ab aduersarijs accusatus.

10. Ex hac doctrina inferitur Christum confecisse Eucharistiam, non ex fermentato, sed ex azymo. Ratio est, quia vel eucharistiam confecit in cœna paschali, vel in cœna ordinaria, quæ celebrauit post cenam paschalem; si in cœna paschali, cum illa fieret, non in fermentato, sed in azymis, confecit eucharistiam ex azymis; si in cœna ordinaria post cenam paschalem, iam post occasum Solis inceperat prima dies azymorum, in qua non solum non licebat vti fermentato, sed neque permittebatur habere fermentum in domibus; ergo Christus confecit eucharistiam, non in fermentato, sed in azymis.

11. Opponunt primò Græci, quod vt figuratum corresponderet figuræ, eadem die decima quarta debuerunt Iudæi immolare agnum, & Christum occidere; sed agnum immolarunt die decima quarta; ergo Christum occiderunt die decima quarta: sed Christus celebrauit pascha pridie, quam occideretur; ergo celebrauit pascha die decima tertia.

Respondetur, quod sicut iuxta opinionem Græcorum, satis figuratum correspondit figuræ, licet non eadem hora vespertinae Iudæi Christum occiderint, & pascha immolarint, sed post Christi mortem, & sepulturam accesserint ad immolandum pascha, sic iuxta sententiam latinorum optimè figuratum correspondet figuræ, siquidem Iudæi in fine decimæ quartæ, & initio decimæ quintæ immolarunt agnum, & ceperunt disponere, qui spectabant ad mortem Christi; eadem nocte Christum comprehenderunt, & damnarunt, ac die sequenti, qui erat dies festus pasche, Christum occiderunt.

12. Opponunt secundo Græci. Io. 18. dicitur de Iudæis: *Et ipsi non introierunt in Presbiterium, vt non contaminarentur, sed vt manerent pascha;* ergo mane diei, in qua Christus fuit occisus, Iudæi adhuc non celebrauerant pascha; sed Christus pridie eius diei, qui fuit occisus, celebrauerat pascha; ergo celebrauerat pascha ante tempus præscriptum à lege.

Respondetur, quod pasche, & pascha vocabantur non solum agnus, sed etiam oves, & boues, quæ immolabantur die decima quarta, & sequentibus diebus azymis, vt continetur ex Deuteronomii 16. vbi dicitur: *Immolabis que pasche Domino Deo tuo de ouibus, & de bobus loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, & ex secundo Paralipomenon, cap. 30. & 35. vbi narratur principes dedisse sacerdotibus magnam*

militudinem ouium, & bouum ad faciendum pasche, seu pascha. Quia igitur carnes talium animalium, quæ immolabantur diebus azymis, non poterant comedi, nisi à mundis, & non contaminatis, ideo Iudei mane non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed manducarent pascha, hoc est carnes ouium, & bouum immolatorum diebus azymis, licet pascha agni iam pridie celebrasset.

13. Opponunt tertio. Ioannis 18. Christus dicitur mortuus in pasceue paschæ, hoc est in die, quo parabantur necessaria ad pascha celebrandum; sed iam celebrauerat pascha pridie ante mortem; ergo celebrauerat pascha ante diem præscriptum à lege.

Respondetur, quod omnes septem dies azymi vocabantur dies paschales, adeoque sabbatum, quod incidebat in dies azymos, vocabatur sabbatum paschale, seu sabbatum paschæ, & vocabatur etiam sabbatum magnum, & pasceue præcedens illud sabbatum vocabatur pasceue sabbati paschalis, ac pasceue paschæ: sed Christus mortuus est in pasceue sabbati incidentis in diem secundum azymorum, adeoque in pasceue sabbati paschalis; ergo non est mirum, quod Ioannes dicat Christum mortuum fuisse in pasceue paschæ.

14. Opponunt quarto: Io. 19. dicitur Christum celebrasse vltimam cœnam ante diem festum paschæ; ergo anticipauit celebrationem paschæ.

Respondetur, quod Ioannes scripsit Christum celebrasse vltimam cœnam ante diem festum paschæ, quia celebravit vltimam cœnam nocte præcedente diem festum paschæ. Licet enim nox esset pars festiuitatis paschalis, tamen verè præcedebat diem festum, in quantum dies opponitur nocti. Sicut igitur licet festiuitas natiuitatis dominicæ incipiat à media nocte, quæ sunt ea nocte, possunt dici fieri ante diem festum natiuitatis dominicæ, sic licet nox illa, in qua Christus celebravit vltimam cœnam, esset pars festiuitatis paschalis, tamen quia præcedebat diem festum, verissimè Ioannes dixit vltimam cœnam factam fuisse ante diem festum paschæ.

15. Burgensis, Lyranus, & alij, quos refert, & sequitur Maldonatus in cap. 26. Matthæi, tribus vltimis argumentis Græcorum responderunt alia via, ac dixerunt, non Christum anticipasse celebrationem paschæ, vt dicunt Græci, sed Iudæos celebrationem paschæ distulisse vsque ad vesperam decimæ quintæ ex quadam sua legitima traditione, & ac dispensatione, ex qua festum paschæ, hoc est diem primam azymorum, cum incidebat in diem sabbati, transferebant in sequentem diem sabbati, ne duos festos dies celebrarent duobus diebus continuis cum magno incommodo populi, cui graue erat duobus diebus abstinere à mortuis sepeliendis, & à quibus-

dam alijs operibus faciendis. Iuxta hanc sententiam facillimè soluantur tria argumenta, allata. Nam Iudæi mane diei decimæ quintæ non introierunt in prætorium, quia celebrare debebant pascha ad vesperam decimæ quintæ; dies, in qua mortuus est Christus, erat pasceue paschæ, quod Iudæi in diem sabbati transtulerant; & Ioannes dicit, Christum celebrasse vltimam cœnam ante diem festum paschæ translari à Iudæis.

16. Dicendum nihilominus cum sententia communiori, quam sequuntur Toletus in Comm. super Ioannem, Suarius, & Vasquez hic, Christum, & Iudæos eadem die decima quarta ad vesperam iuxta præscriptum legis celebrasse pascha.

Probatum primo: nam non est fundamentum, quod Iudæi habuerint ex traditione potestatem transferendi diem festum paschæ, quando incidebat in feriam sextam. Secundo, quia Iudæi die prima azymorum poterant parare necessaria ad vescendum, ac mortuos sepelire, aliq; opera misericordiæ exercere; ergo non erat valde incommodum primum diem festum azymorum celebrare ante sabbatum. Tertio si dies azymorum translata fuisset in sabbatum, ne duos dies festos duobus diebus continuis celebrarent, dies septima azymorum, quæ erat festiua, incidisset in feriam sextam hebdomadæ sequentis, adeoque incidisset in incommodum, quod conabantur vitare, celebrandi duos dies festos duobus diebus continuis. Quarto demum ex euangelij colligitur Christum, & Iudæos eadem die pascha celebrare; ergo neque Christus anticipauit, neque Iudæi distulerunt celebrationem paschæ. Probatum antecedens: nam Marci decimo quarto dicitur: *Primo die azymorum, quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli: ubi vis paremus pascha?* ergo ea die Christus celebravit pascha, qua Iudæi communiter celebrabant pascha. Lucæ 22. dicitur: *Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha;* sed non verificaretur, quod ea die necesse erat occidi pascha, si ex legitima traditione in aliam diem communiter differebatur occisio paschæ, siue agni paschalis; ergo &c.

17. Opponunt auctores citati. Si Christus, & Iudæi celebrarunt pascha ad vesperam decimæ quartæ, cum Christus fuerit occisus die sequenti, fuit occisus prima azymorum, hoc est die festo paschæ: sed non est credibile, Christum fuisse occisum ipso die festo paschatis; ergo &c. Probatum minor: nam, vt legitur Matthæi 26. & Marci 14. Iudæi agentes de morte Christo inferenda dicebant, *non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* Secundo diebus festis non licebat Iudæis accusare, & ius dicere, atque exercere alias actiones forenses, præsertim autem, licet essent gentiles, in diebus iuris dicendi conformabant se legi Iudæorum. Tertio diebus festiuis non licebat mortuos curare, & sepelire; ergo non potuisset Ioseph in die festo paschatis Christum

Num de cruce deponere, curare, & sepelire. Confirmatur: nam mulieres non ausæ sunt curare aromata, & corpus Christi vngere die sabbati; ergo neque Ioseph ausus fuisset corpus Christi curare, & sepelire die festo paschalis, qui erat præcipuus inter dies festos Iudæorum.

13. Respondetur, concedendo, Christum occisum fuisse ipsa solemnitate prima die azymorum, ac negando id non esse credibile. Ad probationem dicendum, quod Iudæi statuerunt Christum non comprehendere, & occidere in die festo, non quia putauerint id per legem non licere, sed quia cum ea die Hierosolymis ingens fieret concursus populi, qui Christum existimabant prophetam, timuerunt, ne si ea die conarentur comprehendere Christum, populus concitaret aliquem tumultum. Verum cum Iudas spondidisset se noctu, & sine tumultu traditurum Christum, timore deposito, consilium mutarunt, & oblatam occasionem acceptarunt, Christum ea nocte comprehenderunt, & die sequenti, concitato tumultu populi, extorserunt à Pilato, ut Christum crucingeret. Ad secundam probationem respondet Abulensis non fuisse Iudæis prohibitum accusare, ius dicere, sententiam pronunciare, & alias actiones forenses exercere prima die azymorum, siquidem nullibi in Scriptura exprimitur hæc prohibitio. Alij respondent, quod quamuis Iudæis prima die azymorum non liceret exercere iudicia, tamen principes sacerdotum in isto consilio legem interpretantes, vel scienter transgredientes, arbitrati sunt expedire Christum comprehendere, & occidere, ne tota gens periret. Confirmatur solutio. Nam ex simili interpretatione die sabbati fecerunt quædam, quæ ipsis non licebant, siquidem accepta custodia à Pilato accesserunt ad sepulchrum, & positis custodibus, lapidem sigillo munerunt; ergo non est mirum, quod etiam prima azymorum legem interpretati, vel scienter transgressi Iudæi exercuerunt plures actiones communiter per legem prohibitas. Ad tertiam probationem dicendum, quod Iudæis non erat prohibitum, diebus festis mortuos sepelire, & alia opera, misericordiam exercere. Colligitur ex pluribus locis Euangelij, & ex Tobia 2. ubi narratur, quod cum esset dies festus Domini, & factum esset prandium bonum in domo Tobia, ac nuntiatum esset quemdam Iudæum iugulatum iacere in platea, relinquens prandium Tobias egressus est, & cadaver defuncti tulit in domum suam, ut id nocte sepeliret; ergo non est mirum, quod Ioseph potuerit corpus Christi de cruce deponere, & sepelire. At mulieres non sunt ausæ curare aromata, & corpus Christi vngere die sabbati, tum quia pluribus operibus tenebantur abstinere die sabbati, quam alijs diebus festis; tum quia fortasse diebus festis licebat quidem, cadavera sepelire, cum opus sepeliendi censetur necessarium, at non licebat cadavera iam sepulta,

vngere, cum tale opus non sit necessarium, sed possit facile, & sine incommodo differri ad alium diem.

QVÆSTIO CXXXV.

Virum eucharistia debeat confici in azymo vel in fermentato?

S. Thom. quest. 74. art. 4.

1. **P**lures sunt errores. Primus est Graecorum, quorum mentionem facit Leo IX. in epistola prima aduersus Michaelem Constantinopolitanum, qui post 1030. anno ab ortu Christi ceperunt docere Christum consecrasse in fermentato, adeoque non posse, ne quidem valide consecrari in azymo, ac latinos erroris insimulantes, ceperunt impicare azymitas. Secundus error, qui tribuitur Armenis, ac nullum habet auctorem latinum, docet non posse valide consecrari panem fermentatum. Tertius error est Hugonis, quem refert, & sequitur Glossa in capite litterarum celebratione missarum, ac docet, ita Graecis esse necessarium consecrare in fermentato, non possint valide consecrare in azymo, & latinis ita esse necessarium consecrare in azymis, ut non possint valide consecrare in fermentatis.

2. Contra hos errores dicendum: potest valide consecrari à quocumque tum graecum latino, tum in pane azymo, tum in fermentato. Conclusio est de fide, ac definita Concilio Florentino sessione vltima in litteris vnionis, & à Leone IX. in epistola prima contra errores Michaelis Constantinopolitani, eamque docuerant omnes scholastici.

3. Probatur primo. Ut enim ostensum est questione superiori, Christus consecit eucharistiam in azymis; ergo potest valide consecrari in azymis; sed etiam panis fermentatus est verus panis triticeus; ergo etiam potest valide consecrari in fermentatis. Explicatur, licet Christus consecerit eucharistiam in determinata specie vini, ex. gr. in vino albo, nihilominus quia instituit in materiam eucharistiam vinum ex vite, potest valide consecrari quocumque libet vinum ex vite, seu sit album, seu nigrum; ergo ex proportionali ratione. Licet Christus consecerit eucharistiam in azymis, tamen quia instituit ut materiam eucharistiam panem triticeum, potest valide consecrari quolibet panis triticeus cuiuslibet speciei, seu sit panis azymus, seu sit panis fermentatus.

4. Probatur secundo. Nam ab antiquissimis temporibus ecclesia, tum graeca, tum latina eucharistiam consecit ex azymis; ergo panes azymi possunt valide consecrari. Probatur antecedens auctoritate Epiphaniij auctoris graeci, qui haeresi, 30. loquens de Hebraeorum dicit: *Mysteria autem faciunt ad imitationem*

florum in ecclesia ab anno in annum per azymum

est non fermentatos panes, & alteram mysterij partem per aquam solam; ergo iuxta Epiphanium, Hebionitæ in quantum faciebant mysteria, hoc est eucharistiam per azyma, faciebant id ad imitationem Sanctorum, adeoque Sancti, hoc est catholici, tum græci, tum latini utebantur azymis. Hinc aliqui, quos refert Vasquez disp. 174. cap. 1. num. 3. docent vniuersam ecclesiam, tum græcam, tum latinam à tempore Apostolorum ad exemplum Christi in azymis consecrassè, exorta verò hæresi Hebionitarum, qui dicebant à christianis legalia iudeorum esse obseruanda, vniuersam ecclesiam etiam latinam in fermentato coepisse consecrare: hac autem occasione cessante, ecclesiam latinam rediisse ad pristinum morem consecrandi in azymis, græcam remansisse in consuetudine consecrandi in fermentato.

5. Sicut licet Christus consecraverit ex gr. solum in vino albo, non instituit materiam eucharistie solum vinum album, sed vinum ex vite, abstrahendo ab albo, & rubro, ita licet consecraverit in azymis, non instituit materiam eucharistie solum panem azymum, sed panem triticeum, abstrahendo ab azymo, & fermentato, ideoque Euangelistæ non expriment panem azymum, sed solum panem. Porro non solum panis fermentatus, sed etiã panis azymus est simpliciter panis. Probatur primò: nam Euangelistæ dicunt Christum consecrassè panem; sed vt ostensum est, Christus consecrauit in pane azymo: ergo panis azymus simpliciter est panis. Probatur secundò: nam Luca ultimo dicitur, discipulos euntes in Emaus cognouisse Christum in fractione panis; sed hoc accidit ipsa die dominica, in qua Christus resurrexit, quæ dies, si Christus celebravit pascha eadem die cum iudeis, erat tertia azymorum, si non celebravit pascha eadem die, erat secunda azymorum, quibus diebus non licebat iudeis habere in domibus quidquam fermenti; ergo panis azymus est simpliciter panis.

6. Materia eucharistie est panis vsualis secundum speciem, licet secundum aliquam circumstantiam accidentalem sit minus vsualis. At panis azymus est vsualis secundum speciem, quæ consistit in hoc, vt sit panis triticeus, licet non sit vsualis secundum circumstantiam accidentalem azymi. Adde, quod Christus instituit materiam eucharistie panem vsualem, abstrahendo ab hoc, quod esset vsualis septem diebus azymorum, vel reliquis anni temporibus; panis autem azymus, licet non esset vsualis reliquis anni temporibus, erat vsualis septem diebus azymis. Demum Christus instituit in materiam eucharistie panem, qui erat vsualis, abstrahendo ab hoc, quod esset vsualis in mensis sacris, vel in mensis profanis; sed in mensis sacris, & in sacrificijs magis erat vsualis panis azymus, quã fermentatus, vt colligitur ex secundo Leuitici, vbi dicitur: *Omnis oblatio, quæ offertur Do-*

mino, absque fermento erit; ergo &c.

7. Posito, quod Christus instituerit materiam Eucharistie panem, abstrahendo ab azymo, vel fermentato, sequitur erroneum esse dicere, græcos non posse validè consecrare, nisi in fermentato, latinos non posse validè consecrare, nisi in azymo, vt docuit Hugo, quem sequitur Glossa. Quilibet enim sacerdos potest validè consecrare materiam, quæ ex institutione Christi est sufficiens; sed panis, siue sit azymus, siue fermentatus, ex institutione Christi est sufficiens; ergo quilibet sacerdos potest validè consecrare panem, siue sit azymus, siue fermentatus.

8. Paludanus in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 4. concl. 6. docet, quod licet possit validè consecrari, tum in azymo, tum in fermentato, nihilominus tum latini, tum græci tenentur consecrare in azymis ad imitationem Christi, & Apostolorum, & conformando se Ecclesie S. Petri, & in hanc opinionem inclinauit etiã Scotus in 4. dist. 11. quæst. 6. quem sequitur Gabriel Alij dixerunt latinos non solum potest licitè consecrare in azymis, sed etiam teneri, ita vt peccent, si consecrent in fermentato: græcos è conuerso posse licitè consecrare, tum in fermentato, tum in azymo.

9. Contra has opiniones dicendum cum sententia communilatini, ita licet consecrare in azymo, vt per se non possint licitè consecrare in fermentato; & græcis ita licet consecrare in fermentato, vt non possint licitè consecrare in azymis. Probatur primò ex Leone IX. in citata epistola prima contra errores Michaelis Constantinopolitani, in qua conqueritur de græcis, quod cum Romana Ecclesia permitteret, vt græci in plurimis ecclesijs, tum in vrbe, tum extra vrbe consecrarent in fermentato, iuxta paternam consuetudinem, & traditionem, nihilominus græci non permitterent, vt latini in ecclesijs, & monasterijs, quæ habebant apud græcos, celebrarent in azymis, & addit: *Scit enim Romana Ecclesia, quod nihil obstant saluti credentium diuersæ pro tempore, & loco consuetudines, quando vna fides per dilectionem operans bona, quæ potest, vni Deo commendat omnes; ergo iuxta doctrinam Pontificis vterque ritus nihil obstat saluti, adeoque est licitus. Idem docet Eugenius IV. in litteris vnionis post vltimam sessionem Concilij Florentini, vbi etiam asserit vnumquemque debere ecclesie suæ morem amplecti; ergo iuxta Eugenium latini debent, & tenentur consecrare in azymis, græci debent, & tenentur consecrare in fermentato. Ratio est, quia ecclesia non solum permittit vtrumque ritum, sed etiam permittit, vt latinis præcipiatur ritus consecrandi in azymis, græcis præcipiatur ritus consecrandi in fermentato; ergo sicut latini tenentur consecrare in azymis, sic græci tenentur consecrare in fermentato.*

10. Addit S. Thomas art. 4. quem alij sequuntur, quod vterque ritus est rationabilis, sed

sed rationabilior est ritus consecrandi in azymis. Quod uterque ritus sit rationabilis, probat, afferendo rationem utriusque ritus ex Beato Gregorio in Registro, ubi dicit. *Romana ecclesia offert azymos panes, propterea, quod Dominus sine vlla commissione suscepit carnem: sed græcæ ecclesia offerunt fermentatum pro eo, quod Verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farina.* Quod rationabilior sit ritus consecrandi in azymis, probat primò, quia Christus consecrauit in azymis: secundò, quia Eucharistia potius est sacramentum corporis Christi, quod sine vlla corruptione conceptum est, quam sacramentum Verbi, quod suscepit carnem, eo pacto, quo farina suscipit fermentum; ergo conuenientius fit ex pane azymo, quod caret corruptione fermenti, quam ex fermentato, quod non fit sine corruptione fermenti: tertio, quia per panes azymos magis exprimitur sinceritas fidelium, & veritas fidei, quæ requiritur ad hoc sacramentum sumendum, iuxta illud Apostoli prima ad Corinthios quinto: *Itaque epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis.* Quia tamen ritus consecrandi in fermentato est rationabilis, & suam habet significationem, & præterea est aptus ad detestandam hæresim Hebionitarum, & Nazarenorum, qui obseruantias legales euangelio miscebant, ideo etiam ritus consecrandi in fermentato fuit conuenienter receptus à græcis.

11. Conueniunt auctores, quod sacerdotes latini, qui ita sunt apud græcos, ut manent in ecclesijs, vel monasterijs, in quibus seruetur ritus latinus, possunt, ac debent seruare latinum ritum, consecrando in azymis, & sacerdotes græci, qui ita sunt apud latinos, ut morentur in ecclesijs, vel monasterijs, in quibus seruetur ritus græcus, possunt, ac debent seruare ritum græcum, consecrando in fermentato. Docuit id expressè Leo IX. in epistola citata, ubi dicit esse seruandas consuetudines talium ecclesiarum, & monasteriorum. Addit Suarius, quod licet græci manentes apud latinos in ecclesijs, in quibus seruetur ritus græcus, possint, ac debeant consecrare in fermentato, tamen latini, si fortè celebrent in talibus ecclesijs, non possunt celebrare in fermentato, quia hoc est priuilegium speciale græcorum: & ex proportionali ratione in ecclesijs latinorum apud græcos, græci non possunt celebrare in azymis, quia illud est priuilegium speciale latinorum. His suppositis, Ledesma in 4. art. 4. quæst. 5. dub. 2. docet sacerdotes græcos, etiam peregrinos, dum sunt in ecclesia latina, non posse consecrare in fermentato, sed teneri ad consecrandum in azymis iuxta ritum latinorum; & sacerdotes latinos etiam peregrinos, dum sunt apud græcos, non posse consecrare in azymis, sed teneri ad consecrandum in fermentato; iuxta ritum græcorum. Suarius disp. 44. sect. 3. docet sacerdotes græcos, si domicilium fixerint in locis, ubi non est ecclesia, in qua seruetur ritus

græcus, teneri ad conformandum se ritui latino, consecrando in azymis; & sacerdotes latinos, si domicilium potuerint apud græcos, teneri ad conformandum se ritui græcorum, consecrando in fermentato: sacerdotes autem peregrinos posse se conformare ritui ecclesie per quam transeunt, sed ad id non teneri.

12. Dicendum cum Vasquez disp. 177. cap. 3. græcos, qui domicilium fixerunt apud latinos, teneri ad conformandum se ritui latino, celebrando in azymis; latinos proportionatiter, si domicilium fixerunt apud græcos, teneri ad conformandum se ritui græco, consecrando in fermentato: at sacerdotes peregrinos, vel qui alicuius negotij gratia alicubi versantur, teneri ad consecrandum iuxta proprium ritum, adeoque ad consecrandum in fermentato, si sint græci, & ad consecrandum in azymis, si sint latini. Probat per singulas partes; & primò ostenditur, quod sacerdotes, qui domicilium fixerunt, tenentur conformare ritui ecclesie, in qua domicilium fixerunt. Ex dictis enim supra, vnusquisque tenetur seruare ritum ecclesie, ad quam spectat; sed vnusquisque eo ipso, quod domicilium fixit in aliqua ecclesia, censetur spectare ad illam ecclesiam; ergo sacerdos græcus, si domicilium fixerit apud latinos, censetur spectare ad ecclesiam latinam, adeoque tenetur sequi ritum latinum: sacerdos autem latinus è contra. Secunda pars probatur, quia sacerdotes græci, licet peregrinentur apud latinos, si domicilium non fixerint, adhuc remanent in ecclesia græca, nec pertinent ad latinam; sacerdotes latini è contra.

13. Sacerdos latinus in casu, in quo non habeat panes azymos, & præbendum sit vnicum moribundo, non potest consecrare in fermentato, ut docet communis sententia. Ratio est, quia licet præceptum dandi vnicum moribundo sit diuinum, tamen est affirmatiuum, adeoque non obligat pro semper, sed pro debitis circumstantijs; sed inter alias circumstantias est, quod eucharistia conficitur iuxta ritum ecclesie; ergo cum non potest conficere eucharistiam in azymis, non obligat, sicut non obligat, cum non habet decras vestes, licet sacræ vestes ex præcepto præse ecclesiastico requirantur ad celebrandum sacrum.

QVÆSTIO CXXXVI.

Virum solum vinum ex vite sit materia Eucharistie?

S. Tho. quæst. 74. art. 5.

1. **S**olum vinum ex vite est materia eucharistie. Conclusio est certa, ut potè de finita in Concilio Lateranenfi sub Innocentio III. ut refertur capite *Firmiter de Summa Trinitate*, & capite *Sicut* in titulo, quo datur

naturæ error Ebionitarum, qui dicebant aquam puram esse materiam eucharistiæ, ac posse validè consecrari. Definita etiam fuit ab Eugenio IV. in Concilio Florentino in decreto fidei post sessionem vltimam, & colligitur ex illis verbis Christi Matthæi 26. Marci 14. & Lucæ 22. *Non bibam amodo de hoc gemine vitis,* ex quibus patet consecrasse Christum vinum ex vite; sed præcepit Apostolis, vt facerent id, quod ipse fecit; ergo præcepit Apostolis consecrare vinum ex vite, adeoque instituit vinum ex vite, vt materiam necessariam eucharistiæ, Ratio, cur Christus voluerit materiam eucharistiæ esse vinum ex vite, est, quia voluit materiam eucharistiæ esse illum liquorem, quo primò, & per se homines vtuntur in potum; sed primò, & per se homines vtuntur potu vini ex vite, alijs autem liquoribus vtuntur in defectum vini ex vite; ergo &c. Adde, quod Sacramentum Eucharistiæ causat lætitiã spirituales; sed vinum ex vite est aptum ad significandam hanc lætitiã, siquidem scriptum est, quod *vinum latificat cor hominis;* ergo &c.

2. Ex dictis sequitur alios liquores non posse validè consecrari, etiam si vocentur nomine vini: ex gr. non potest validè consecrari vinum granatorum &c. Sequitur rursus, quodlibet vinum ex vite posse validè consecrari, adeoque validè consecrari vinum album, rubrum &c. Ratio est, quia materia huius sacramenti est vinum ex vite, abstrahendo à qualibet differentia albi, vel rubri; ergo quodlibet vinum ex vite potest validè consecrari, ac nihil refert, quod talia vina differant specie, vel non. Licet possit validè consecrari tum vinum album, tum rubrum, tamen vsus obtinuit, vt frequentius adhibeatur vinum album, vt pote quod est conuenientius ad conseruandam munditiem in sacrificio missæ requisitam.

3. Non potest validè consecrari succus expressus ex vuis immaturis, qui succus vocari solet *agresta*, vt docet communis sententia S. Thomæ, & aliorum. Ratio est, quia *agresta* est quidem materia proximè mutabilis in vinum, sed adhuc non habet speciem vini; sed materia eucharistiæ est solum vinum; ergo &c. Ex opposita ratione, vt docet S. Thomas, & alij communiter, mustum expressum ex vuis iam maturis, sed adhuc non defæcatum, potest validè consecrari. Ratio est, quia mustum habet iam speciem vini, licet adhuc facta non sit separatio facis à substantia vini; sed quod habet speciem vini potest validè consecrari; ergo &c. Confirmatur: nam in canone *cum omnino* de consecratione dist. 2. qui canon est Iulij Papæ in epistola ad Episcopos in Ægyptum missos, & refertur, & approbatur in Concilio Lateranensi 3. capite 1. permittitur tempore necessitatis, vt consecraretur in musto tunc ex botris expresso, licet damnetur, qui consecrabant mustum expressum vna cum botris, & granis; ergo

mustum non solum potest validè consecrari, sed in casu necessitatis potest consecrari licitè, quamuis peccaret, qui extra casum necessitatis consecraret in musto. Ratio, cur extra casum necessitatis non liceat consecrare in musto, est, quia mustum est vinum impurum, ac proindè habens admixtas multas partes, quæ non sunt vinum. Adde probabiliter posse validè consecrari succum expressum ex vuis passis, adeoque validè consecrare Aethiopes Abissinos, qui dicuntur exprimere aliquid succi ex vuis passis, eumque ipsis vuis passis admixtum, consecrare. Ratio est, quia succus vuae passæ adhuc retinet speciem vini, vt constat ex eius dulcedine, quæ non remanet in vino iam corrupto; ergo potest validè consecrari.

4. Non potest validè consecrari mustum nondum ex vuis maturis expressum, vt docent communiter Theologi, licet aliqui docuerint oppositum. Ratio est, quia materia consecrabilis in sanguinem debet habere rationem, non cibi, sed potus; sed liquor ex vuis non expressus, non habet rationem potus, sed cibi, ideoque pro eo statu potest quidem comedi, sed non potest potari; ergo &c. E conuersò vinum congelatum potest validè consecrari, vt cum communiori sententia ex Soto, Syluestro, & alijs docent Suarez, & Vasquez hic. Probat: nam illa materia, quæ est sufficiens ad hoc, vt in ea conseruetur sanguis Christi, est etiam sufficiens ad hoc, vt validè consecratur; sed sub speciebus vini congelati conseruatur sanguis Christi, ideoque præcipitur in missali, vt si species vini post consecrationem congelentur, liquentur, & deindè consumantur; si autem non conseruaretur sanguis Christi, deberet iterum consecrari aliud vinum ad perfectionem sacrificij; ergo &c. Nec dicas, quod vinum congelatum non habet rationem potus, adeoque non potest validè consecrari, ex eadem ratione, ex qua succus adhuc ex vuis non expressus non potest validè consecrari. Nam succus ab vuis non expressus per se, & ratione status naturalis non habet rationem potus, sed cibi, ideoque non potest validè consecrari; at vinum congelatum non habet rationem potus solum propter congelationem, quæ nullo pacto est naturalis vino, & potest facile auferri, per se autem habet rationem potus, ideoque potest validè consecrari, eo pacto, quo panis adeo durus, vt non possit comedi, nisi ante calore mollesceret, potest validè consecrari.

5. Halensis existimauit acetum differre à vino solum accidentaliter, ideoque posse validè consecrari. Dicendum tamen cum communi sententia S. Thomæ, & aliorum, acetum differre substantialiter à vino, adeoque non posse validè consecrari. Probat: nam acetum est vinum corruptum, & ita se habet ad vinum, sicut cadaver ad viuens, cuius est cadaver; ideoque sicut cadaver non potest

potest iterum viuificari, quia non datur regressus à priuatione ad habitum, ita acetum non potest mutari in vinum, vt docet Aristoteles 8. Metaph. text. 14. sed vinum corruptum non retinet formam, ac speciem vini, eo pacto, quo cadaver non retinet speciem, ac formam viuentis; ergo &c. Ratio à priori est, quia vinum constat ex duplici parte, hoc est ex parte crassa, ac subsistente, quæ est grauis, & naturaliter fertur deorsum, & ex parte subtili, & spiritosa, quæ est leuis, & naturaliter fertur sursum; sed acetum fit per separationem partis spiritosæ à crassa; ergo acetum deest spiritus substantialis vini, adeoque acetum non est vinum, sed est veluti cadaver priuatum spiritu vini. Ex proportionali ratione spiritus vini vulgo aquauis, non est vinum, adeoque non potest validè consecrari. Sicut enim homo constat ex duplici parte substantiali, hoc est ex anima, & corpore, sic vinum constat ex duplici parte substantiali, hoc est ex corpore crasso, & subsistente, & spiritu subtili, & volatico; ergo, sicut neque corpus separatum ab anima, neque anima separata à corpore est homo; sic neque corpus crassum vini separatum à spiritu, neque spiritus vini separatus à corpore crasso est vinum; sed acetum est corpus crassum vini separatum à spiritu; aquauis est spiritus vini separatus à corpore crasso, vt patet ex eo, quia statim ignescit; ergo neque acetum, neque aquauis est vinum, adeoque ex eadem ratione, ex qua acetum non potest validè consecrari, aquauis non potest validè consecrari. Licet acetum perfectum non possit validè consecrari, tamen vinum acefcens potest validè consecrari. Ratio est, quia vinum acefcens est quidem in via ad corruptionem, sed adhuc non est corruptum; ergo retinet speciem vini. Peccaret tamen, qui extra casum necessitatis consecraret vinum acefcens.

Q V Æ S T I O C X X V I I .

Vtrum aqua sit vino admiscenda in consecratione?

S. Thom. quest. 74. art. 6. 7. 8.

1. **A** Armeni docuerunt solum vinum sine vlla admittione aquæ esse consecrandum. Vt autem testatur Nicephorus lib. 28. historię cap. 53. ideo Armeni nolebant aquam miscere vino, ne tali admittione significarent duas in Christo fuisse naturas, humanam, & diuinam, siquidem sequebantur hæresim Eutichianorum, qui negabant duas fuisse in Christo naturas. Errorem Armenorum secuti sunt Lutherani, & Calvinistæ; quatenus in suo calice nullam aquam admittunt. Eundem errorem nonnulli; quos citat Bellarm. lib. 4. de Euchar. cap. 10. & Vasquez, tribuerunt aliquibus Græcis. Sed Græcos

semper aquam vino miscuisse, adeoque se inuicem ab hoc errore, probant Bellarmus, & Vasquez ex pluribus testimoniis veterum Græcorum, & ex Eugenio IV. in decreto fidei post vltimam sessionem Concilii Tridentini, qui hæc habet. *Cum ergo ratio Romana Ecclesia à beatissimis Apostolis Petro, & Paulo edocta, quam relique omnes latinorum, Orientumque Ecclesie, in quibus omnis sanctitas, & doctrina lumina claruerunt, ab initio nascens Ecclesie sic serauerint, & modò seruent, inueniens admodum videtur, vt alia quouis regio ab vniuersali, & rationabili discrepet obseruentia. Decernimus igitur, vt etiam ipsi Armeni, se cum vniuerso orbe Christiano conforment, eorumque sacerdotes in calicis oblatione parum aquæ, prout statum est, admisceant vino.*

2. Contra relatos errores dicendum catholicæ sententiæ omnium Græcorum, & latinorum, quod Christus ante consecrationem aquam miscuit vino, ideoque omnes sacerdotes debent aquam vino ante consecrationem miscere.

3. Licet conclusio non possit probari Scriptura, tamen probatur ex traditione ecclesiasticâ, quæ colligitur ex Patribus Græcis, & Latinis omnium ætatum, & ex decretis Pontificum, & Conciliorum, quorum testimonia refert Bellarm. lib. 4. de Euchar. cap. 10. & Vasquez disp. 174. cap. 2. Duo tantum placet afferre, alterum Iacobi Apostoli, alterum Marci Euangelistæ in suis liturgiis. In liturgia antiquissima Iacobi Apostoli legitur. *Similiter postquam cenauit, accipiens calicem, & permixturam ex vino, & aqua, & aspiciens in cælum &c. in liturgia Marci legitur, similiter & calicem postquam cenauit accipiens, & facta vini, & aquæ permixtione &c.* Tres sunt potissimè rationes propter quas aqua debet vino misceri. Prima est, quia Christus miscuit aquam vino. Secunda est, quia mixtio aquæ cum vino est conueniens ad repræsentandam dominicam passionem. Vt enim dicit Alexander Papa in epistola ad omnes orthodoxos: *Non debet in calice Domini, aut vinum solum, aut sola aqua ferri, sed vtrumque permixtum, quia vtrumque latere eius in passione sua profuxisse legitur.* Tertia ad significandum effectum sacramenti, quod est vnio populi christiani cum Christo. Vt enim dicit Iulius Papa, & refertur de consecratione, dist. 2. capite, *cum omne crimen, & demus in aqua populum intelligi, in vino vero sanguinem Christi; ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adiunatur.* Quod autem populus significetur per aquam, patet ex Apocalypsis cap. 15. *Aquæ multe, populi multus.*

4. Quidam, quos refert S. Bernardus epistola 96. & quos sequutus est Armacanus lib. 9. de questionibus Armenorum, docuerunt mixtionem aquæ esse de necessitate sacramenti, adeoque vinum purum non potest validè consecrari.

5. Contra hanc opinionem dicendum cum sententiâ communi, & certa S. Thomæ

& omnium theologorum: commixtio aquæ non est necessaria necessitate sacramenti, adeo que vinum purum potest validè consecrari. Probatum primo: nam Concilium Tridentinum sess. 13. agens de sacramento Eucharistiæ, ac mentionem faciens panis, & vini, nunquam facit mentionem aquæ: sessione verò 22. agens de sacrificio, solum dicit ecclesiam mixtionem aquæ præcepisse; sed si existimasset aquam esse necessariam ad valorem sacramenti, sess. 13. non fecisset mentionem solum vini, & sess. 22. non dixisset solum ecclesiam mixtionem aquæ præcepisse, sed dixisset talem mixtionem esse necessariam ad sacrificium conficiendum; ergo &c. Similiter Concilium Florentinum agens de materia eucharistiæ dicit, materiam eucharistiæ esse panem triticeum, & vinum ex vite, cui vino aqua ante consecrationem misceri debet; ergo ipso modo loquendi significat mixtionem aquæ non esse necessariam ad complendam materiam sacramenti, sed solum esse necessariam necessitate præcepti. Demum idem Concilium Armenos, qui aquam vino non admiscebant, reprehendit, non ex eo, quod inualidè consecrarent, sed solum ex eo, quod discordabant ab ecclesiæ vniuersalis consuetudine; sed si existimasset aquam esse necessariam ad valorem sacramenti, reprehendisset potissimum ex eo, quod non validè consecrabant; ergo Concilium supponit mixtionem aquæ non esse necessariam ad valorem consecrationis.

6. Ex dictis sequitur, quod licet Christus consecraverit vinum limphatum, tamen non instituit vt materiam consecrationis solum vinum limphatum, sed vinum, (abstrahendo ab hoc, quod sit purum, vel limphatum, eo pacto, quo licet consecraverit solum vinum album ex. gr. ac solum panem azymum, tamen non instituit materiam consecrationis solum vinum album, vel solum panem azymum, sed vinum, abstrahendo ab hoc, quod sit album, vel rubrum, & panem, abstrahendo ab hoc, quod sit azymus, vel fermentatus: hoc autem totum colligitur ex traditione ecclesiæ.

7. Alexander de Hales quarta parte quæstione 10. memb. 4. art. primo in solutione argumentorum: Hostius in confessione catholica, cap. 14. Alfonso de Castro aduersus hæreses verbo *Eucharistia*, hæresi septima, & alij, docent Christum non solum consecrasset vinum, cui ante consecrationem admiscuerat aliquid aquæ, sed etiam præcepisse Apostolis, & successoribus, vt eodem ritu consecrarent, adeoque omnes teneri ex diuino, & non solum ex ecclesiastico præcepto ante consecrationem ad admiscendam aquam vino.

8. Dicendum nihilominus cum sententia communiore, quam ex Scoto, Soto, & alijs sequuntur Suarez, & Vasquez hic, quod obligatio miscendi vino aquam est solum ex præcepto ecclesiastico.

Probatum ex Concilio Tridentino sess. 22.
Tom. III.

cap. 7. vbi habet hæc verba: *monet deinde sancte synodus præceptum esse ab ecclesia sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miscant; sed non dixisset solum id præceptum fuisse ab ecclesia, si fuisset præceptum à Christo; ergo &c. Confirmatur: nam Eugenius IV. loco supra citato Armenos, qui vino non admiscebant aquam, reprehendit solum ex eo, quod in hoc ritu ab vniuersali ecclesiæ consuetudine discordarent; ergo supponit hunc ritum præceptum fuisse solum ab ecclesia, non à Christo.*

9. Guglielmus Durandus lib. 4. rationalis, cap. 30. docet hoc præceptum fuisse impositum ab Alexandro 1. Sed contra est, nam ipse Alexander 1. docet id se à Patribus accepisse, adeoque hoc præceptum esse multo antiquius. Verba Alexandri epist. 14. cap. 3. sunt hæc. *Non enim decet, vt à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet, in calice Domini, aut vinum solum, aut solam aquam offerri.* Probabile igitur est hoc præceptum ab initio ecclesiæ fuisse introductum per vniuersalem consuetudinem fundatam in exemplo Christi, quam consuetudinem deinde Alexander 1. suo decreto confirmauit, atque obseruari præcepit. Hinc inferitur hoc præceptum esse dispensabile ab ecclesia. Addit Ledesma, quod in casu necessitatis sacerdos potest etiam sine dispensatione consecrare vinum purum. Sed probabilius est oppositum, adeoque dicendum, quod sicut neque in casu necessitatis potest sacerdos consecrare sine vestibus sacris, ita non potest consecrare vinum purum.

10. Vino consecrando debet misceri aqua naturalis, & elementaris. Probatum tum exemplo Christi, tum ex consuetudine ecclesiæ, tum ex significatione. Nam ex latere Christi prodijt aqua naturalis, vt definitur capite in quodam de celebratione missarum, & populi Christo coadunandi significantur per aquam naturalem. Hinc sequitur, quod qui admisceret vino aquam rosaceam, vel alium similem liquorem extractum ex floribus, vel herbis, non impleteret præceptum admiscendi aquam vino, & præterea grauiter peccaret contra præceptum negatiuum non admiscendi materiam extraneam. Quoad qualitatem aquæ naturalis seruanda est ecclesiæ consuetudo, & ratio habenda reuerentiæ debitæ sacramento.

11. Vt docent communiter Theologi, vino debet admisceri aqua in parua quantitate proportionaliter ad vinum. Primò igitur non debet admisceri aqua tantæ quantitatis, vt possit vinum corrumpere. Vino enim corrupto, consecratio esset inualida. Secundò non debet misceri aqua, quæ quantitate excedat vinum, vt habetur capite, *qui initiatus de celebratione missarum*. Tertiò non debet admisceri aqua vino æqualis, quia licet per talem mixtionem vinum non corrumpetur, adeoque consecratio non redderetur nulla, tamen redderetur dubia, & fieret contra vsus, & præceptum ecclesiæ. Posito, quod aqua

aqua debeat esse maioris quantitatis, quam vinum, quæritur, quam proportionem debeat habere cum vino? Concilium Tridentinum cap. 19. dicit, quod duæ partes debeat esse vini, tertia aquæ. Verum, cum Concilium Florentinum dicat admiscendam esse aquam modicissimam, debet admisceri minus aquæ, quam sit tertia pars, vt etiam ostendit vsus communis. Non potest igitur absolute determinari, quam proportionem debeat habere aqua respectu vini, sed sufficit asserere, quod debet esse modicissima, adeoque non potest peccari per defectum, dummodo admisceatur aliquid aquæ sensibilis, potest peccari per excessum, si tantum aqua infundatur, vt non possit dici modicissima respectu vini. Quia verò Christus actionem miscendi aquam vino, ac dandi discipulis, non fecit vt actionem quandam communem, & indifferentem, sed vt actionem sacram, & mysticam, adeoque ea attentione, ac reuerentia, vt discipuli aduerterent, quod faciebat actionem sacram, & mysticam, verisimile est, quod admiscuerit aquam vino, non in ea quantitate, qua solebat aquam admiscere ad vinum temperandum, sed prout postulabat illa actio mystica, adeoque, quod aquam modicissimam admiscuerit.

12. Aqua vino misceri debet tempore sacrificij, adeoque non sufficit, vt mista fuerit ante tempus sacrificij. Ratio est, quia hæc mistio debet esse ceremonia sacra. Secundò hæc mistio debet fieri ante consecrationem. Tertio debet per se fieri tempore præscripto in missali Romano, ac seruandæ sunt consuetudines ecclesiarum. Quarto si quis non admiscuerit aquam tempore debito, & aduertat defectum ante consecrationem, debet saltem ante consecrationem aquam miscere. Quinto demum si post consecrationem aduertat se aquam non permiscuisse, non debet amplius miscere. Ratio est, quia aqua non debet misceri sanguini, sed vino consecrando; sed post consecrationem non miscetur vino, sed sanguini; ergo &c.

13. Durandus dicit solum sacerdotem debere aquam vino miscere, ac Ledesma quaestione 15. artic. 7. dub. 3. addit eundem sacerdotem, qui sacrificium offert, debere aquam miscere vino. Dicendum tamen, quod neutrum est absolute necessarium, siquidem in missali Romano præscribitur, vt in missis solemnitibus subdiaconus infundat vino aquam à sacerdote benedictam. In hoc igitur seruandæ sunt consuetudines ecclesiarum, & rubricæ missalis Romani, ideoque communiter in missis priuatis ipsemet sacerdos debet aquam vino miscere, in missis solemnitibus subdiaconus debet hoc munere fungi.

TRACTATUS XII

De præsentia Christi in eucharistia, ac de transubstantiatione.

QUESTIO CXXXVII

Virum Christus sit verè, & realiter in eucharistia, & talis præsentia probatur ex verbis ipsius Christi

S. Tb. qu. 75. art. 1.

1. Videtur Christus non esse verè, & realiter in eucharistia, sed in ea esse solum figuratiuè, & tamquam in signo; prout quia Ioannis 6. cum Dominus dixisset manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem, non habebitis vitam in vobis multo diutius ex discipulis eius, dixerunt, durus est hic sermo, quibus Christus dixit: Spiritus est qui vivificat: caro autem non prodest quidquam, quasi diceret, vt explicat Augustinus in psalmum spiritualiter intelligite quæ locutus sum. Non enim corpus, quod videtis, manducaturi estis &c. Sermonem autem, quod vobis commendaui, spiritualiter intellectum vivificabit vos; caro autem non prodest quidquam ergo &c.

2. Secundo Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 16. explicans eadem verba, nisi manducaveritis carnem filij hominis &c. dicit: Facinus, & flagitium videtur inbere. Figura est, præcipiens passionibus Domini esse commemorandum, & suavitè, atque utiliter recordandum esse in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixa, & mortua est. Contra Bernardus serm. 1. in psalmum qui habitat, dicens: quid autem est manducare eius carnem, & bibere eius sanguinem, nisi communicare passionibus eius, & eam conuersatione imitari, quam gessit in carne.

3. Tertio Hieronymus in magnis commentarijs Epistolæ ad Ephes. in illa verba cepitis primi, in quo habemus redemptionem, dicit: Dupliciter verò sanguis Christi, vel caro intelligitur, vel spiritualis illa, atque diuina, de qua ipse dicit: caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus &c. vel caro, & sanguis Christi, quæ crucifixa est, & qui militis effusus est lancea; ergo &c.

4. Quarto Matthæi 4. habetur. Si dixeritis vobis, ecce hic, aut illic est Christus, nolite credere: ergo non est credendum, cum Christus dicitur esse in altari.

5. Quinto Matthæi 26. Christus dicit: peres semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis; sed si Christus esset in Eucharistia semper haberemus Christum; ergo &c.

6. Sexto Luca 24. Christus apparet Apostolis dixit, palpate, & videte, quia spiritus est, & ossa non habet, sicut me videtis habere: ergo veritas carnis probatur aspectu & tactu, sed aspectu, & tactu non probatur in eucharistia.